

nis referenda sit. Notandus autem est insignis ille locus parallelus (ut vulgo vocant) Aristophanis; apud quem Sycophantes, cum se ad inopiam & paupertatem redactum iri videret, eodem plane sensu ait, *σκάπτεν γὰρ ἐν ἐπίσταμαι*, quo apud D. *Lucam* Oeconomus, ab administratione sua removendus, *σκάπτεν ἐν ἰαχίω*, i. e. *opus rusticum facere non possum*. Videtur nimirum formula illa loquendi, proverbii usum apud Græcos habuisse; quod etiam ab ANDR. SCHOTTO in *Adagiis Sacris* observatum esse video.

Marc. 7. 2. legitur, *κοιναῖς χερσὶ, τῷ ἐστὶν ἀνίπτοις*: ubi verba postrema, *τῷ ἐστὶν ἀνίπτοις*, Scholion redolere, & ex margine in Textum irrepsisse, quilibet naris paulo emunctioris facile sentit. Sic eodem cap. vers. 5. legitur, *ἀνίπτοις χερσὶν ἐδίθειν*: ubi idem Scholion non solum Textum invasit, sed etiam archetypum lectionem *κοιναῖς* (quam Codd. quidam probatiores ibi retinent) extrusit. Quidam vero Codd. eo loco utramque lectionem, *κοιναῖς ἀνίπτοις*, male conjungunt: quod & in multis aliis veterum Auctorum locis factum esse, pluribus exemplis hic demonstrare possem, si hoc agere vellem. Pari ratione *Hebr. II. 37.* *ὅτι αἰγείοις δέμασιν*, procul dubio est Scholion & interpretamentum ejus, quod proxime præcedit, *ἐν μηλωταῖς*. Vide HESYCHIUM V. *Μῆλα*, qui te docebit vocabulum illud sensu quidem latiore interdum dici de quibusvis quadrupedibus; proprie autem & præcipue de *ovibus & capris*. Unde consequitur, *μηλωτῶ* quoque & *αἰγείον δέμα* proprie unum idemque significare; & proinde posterius, tanquam clarius & notius, dicto loco *ad Hebræos*, priores esse interpretamentum. Ad hanc classem etiam refero vexatissimum illum locum *Galat. 4. 25.* ubi verba illa, *Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ*, non esse D. *Pauli*, sed Scholiastæ alicujus (qui ea initio ad marginem è regione nominis *Σινᾶ* vers. 24. adscripserat) cum eruditissimo BENTLEJO statuo. Et sane quæ proxime sequuntur, *συνοικεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, &c.* non possunt referri ad *montem Sina*, tum propter sententiam loci, quæ interpretationem illam non patitur, ut Cl. MILLIUS bene ostendit; tum etiam propter auctoritatem optimi Codicis BORNERRIANI (quo in hac Edit. usi sumus, & de quo postea) qui pro *συνοικεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ*, habet, *ἡ συνοικεῖσθα τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ*, quod vel constructio grammatica connectendum esse docet cum verbis ultimis vers. 24. *ἡτις ἐστὶν Ἀγάς*. In eodem Cod. ante *Σινᾶ ὄρος*, tam in Textu Græco, quam versione Latina interlineari, recte deest vox *Ἀγάς*, quæ omnes adhuc Interpretes in magnam *ἄσπεριαν* conjecit. Sic igitur versus 25. in dicto Cod. sese habet: *τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, ἡ συνοικεῖσθα τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ, &c.* Quis jam non videt, secundum lectionem illius Codicis, verba ista, *τὸ γὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ*, non solum sententiæ, sed etiam constructionis seriem interrumpere; & proinde admodum esse probabile, particulam istam à Librariis è margine in Textum translata esse. Et sane clara omnia erunt & plana, si verbis illis è medio sublatis, totum locum sic legas: *μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ, εἰς δουλειαν γεννώσα, ἡτις ἐστὶν Ἀγάς, ἡ συνοικεῖσθα τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ. δουλεύει δὲ &c.* Vide etiam Notas nostras ad ipsum locum.

Joan. 5. 4. narratur Angelus Hierosolymis statim tempore de cælo descendisse, & aquam piscinæ Bethsaidæ turbasse: quem locum olim dubiæ fidei à quibusdam habitum fuisse, ex veteribus MSS. colligi potest. Nam in Cod. MS. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, num. 4582, (qui Nov. Test. Latine literis majusculis scriptum continet) versus ille 4^{us} non in ipso corpore libri, sed ad summam paginæ oram, manu recentiore scriptus exstat. Idem versus in Cod. Græco ejusdem Bibliothecæ, num. 2242. notulis Criticis, hæc formā > signatus est, tanquam suspectus. In Cod. vero 2860. ejusdem Bibliothecæ notatus est hujusmodi asteriscis * : itemque in Cod. 3424. In Codice autem Græco dictæ Bibliothecæ 2441. omnia illa, *ἐκδεχομένην τὴν ὕδατος κίνησιν. Ἀγγέλῳ γὰρ κατὰ καιρὸν*, & reliqua usque ad finem versus quarti, plane desunt: eademque in antiquissimo Cod. Reg. 1905. (de quo postea plura) minutiore caractere ad marginem scripta sunt. Eadem absunt à versione Coptica in Codd. 329. & 336. ejusdem Bibliothecæ Regiæ. Præterea antiquissimus Codex Cantabrigiensis, qui olim BESÆ fuit, habet quidem verba illa, *ἐκδεχομένην τὴν ὕδατος κίνησιν*. sed quæ sequuntur de Angelo descendente, & aquam turbante (i. e. totus versus quartus) itidem in Codice illo desunt. Si igitur versus ille initio à Codicibus *Novi Test.* abfuit, & postea demum in Textum Evangelii *Joannis* irrepsit; id factum oportuit, jam ante tempora Tertulliani, quippe qui ad hunc locum respexit lib. *de Baptismo*, ubi ait: *Piscinam Bethsaidam Angelus interveniens commovebat, &c.* Hæc de notabili isto loco apud *Joannem* monere visum fuit; præsertim cum Cl. MILLIUS pauca tantum de eo annotaverit.

2 *Cor. II. 3.* pro *ἀπὸ τῆς ἀπλότητος*, quidam Codd. MSS. legunt *ἀπὸ τῆς ἀγνότητος καὶ ἀπλότητος*: alii (ut Cod. BORNERRIANUS) ordine inverso, *ἀπὸ τῆς ἀπλότητος καὶ ἀγνότητος*.